DE VOCANDIS AD EPISCOPATUM

Disputatio Moralis,

In qua probatur, Dignitatem Episcopalem non ultro appetendam, sed conferendam dignioribus

AUTORE

ANTONIO CHARLAS
Presbytero Sacræ Theologiæ Doctore

Ab ipso recitata in Academia Dogmatica Romana, in Archigymnasio Sapientiæ, ac deinde recognita, & plurimùm aucta.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Hebr. 5. v. 4.

ROMÆ, Typis Io: Iacobi Komarek Bohemi, propè SS. Vincentium, & Anastasium in Trivio. M. DC. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PRÆFATIO

CUM Christus Dominus noster de contemnendis divitiis dissereret, *Audiebant*, inquit Sanctus Lucas Evangelista, (a) *omnia hæc Pharisæi, qui erant avari: & deridebant illum*. Idem ferè accidit omnibus, qui aliquid, verum quidem, sed hominum cupiditatibus contrarium, proponunt: quoniam qui secundùm carnem tantùm sapiunt, quorum maximus est numerus, stultitiæ tribuunt contemtionem earum

(a) Luc. 16. v. 14.

rum rerum, quas & ipsi avidissimè appetunt, & appeti ab aliis pene omnibus cernunt. *Sed & in via*, ait Ecclesiastes, (a) *stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*. Itaque minimè mirum videri debet, si ejus generis homines aversentur, aut etiam ludant exponentes sententiam, Episcopatum concupiscere vetantem, præcipientemque, illum dignioribus conferre: quandoquidem hæc dignitas à tam multis tam ardenter appetitur, quæritur tam diligenter, tam importunè,

po-

Eccle. 10, v. 3.

poſtulatur, ut illi, qui ad hanc dignitatem efferendos nominant, aut eligunt, ſępe ut amicis faveant, aut conſanguineis, vel ne Potentum commendationem nihili feciſſe putentur, dignioribus præferunt minùs dignos.

Verùm quia multi aut aliorum exemplo ducti, aut Sacrorum Canonum, Sanctorum Patrum, & præſtantiſſimorum Theologorum doctrinâ non ſatis inſtructi, rei naturâ minùs diligenter inveſtigatâ & conſideratâ, ſe ſe imprudentes conjiciunt in periculum, non eſt ob ſcanda-

DE VOCANDIS AD EPISCOPATUM

Disputatio Moralis,

In qua probatur, Dignitatem Episcopalem non ultro appetendam, sed conferendam dignioribus

AUTORE
ANTONIO CHARLAS
Presbytero Sacræ Theologiæ Doctore

Ab ipso recitata in Academia Dogmatica Romana, in Archigymnasio Sapientiæ, ac deinde recognita, & plurimùm aucta.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Hebr. 5. v. 4.

ROMÆ, Typis Io: Iacobi Komarek Bohemi, propè SS. Vincentium, & Anastasium in Trivio. M.DC.XCVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO

CUM Chriſtus Dominus noſter de contemnendis divitiis differeret, *Audiebant*, inquit Sanctus Lucas Evangeliſta, (a) *omnia hæc Phariſæi, qui erant avari: & deridebant illum*. Idem ferè accidit omnibus, qui aliquid, verum quidem, ſed hominum cupiditatibus contrarium, proponunt: quoniam qui ſecundùm carnem tantùm ſapiunt, quorum maximus eſt numerus, ſtultitiæ tribuunt contemtionem earum

(a) Luc. 16. v. 14.

rum rerum, quas & ipsi avidissimè appetunt, & appeti ab aliis pene omnibus cernunt. *Sed & in via*, ait Ecclesiastes, (a) *stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*. Itaque minimè mirum videri debet, si ejus generis homines aversentur, aut etiam ludant exponentes sententiam, Episcopatum concupiscere vetantem, præcipientemque, illum dignioribus conferre: quandoquidem hæc dignitas à tam multis tam ardenter appetitur, quæritur tam diligenter, tam importunè,

po-

Eccle. 10, v. 3.

poſtulatur, ut illi, qui ad hanc dignitatem efferendos nominant, aut eligunt, ſępe ut amicis faveant, aut conſanguineis, vel ne Potentum commendationem nihili feciſſe putentur, dignioribus præferunt minùs dignos.

Verùm quia multi aut aliorum exemplo ducti, aut Sacrorum Canonum, Sanctorum Patrum, & præſtantiſſimorum Theologorum doctrinâ non ſatis inſtructi, rei naturâ minùs diligenter inveſtigatâ & conſideratâ, ſe ſe imprudentes conjiciunt in periculum, non eſt ob ſcanda-

dalum Pharisæorum supprimenda veritas, omnibus necessaria, multis, ut sperandum est, profutura.

Nemini profectò Episcopatum invideo, sed omnibus tantæ dignitati paribus ex animo deprecor; quoniam: (a) *messis quidem multa, operarii autem pauci*, nimirum strenui atque idonei. Hoc tantùm ago, ut qui virtutum, illi muneri congruentium, semina divinitus acceperunt, in eas excolendas diligentem operam conferentes, honore se præbeant dignos, quo indignos reddit am-

(a) Matty. 9. v. 37.

ambitio; atque hoc pacto ſine ſuæ, ac nominantium, aut eligentium, ſalutis diſcrimine provehi poſſint. Faxit Deus, ut conſilio reſpondeat eventus.

INDEX
CAPITUM.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. P. M. Sac. Palatij Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sac. Apoſt. Palatij Mag.

DISPUTATIO MORALIS

De vocandis ad Episcopatum.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm liceat Episcopatum desiderare, atque ad eum obtinendum preces adhibere?

QUoniam desiderium Episcopatus haud ita malum est, ut non possit aliquando ob circumstantias evadere licitum; pauci sunt, etiam inter eos, qui docti, piique videntur, quin ambiant onus illud, Angelicis humeris formidandum. Etenim cùm in Episcopatu multa sint, mente, non corde, recidentes ambitionem

& avaritiam, ſolam Dei gloriam, & animarũ ſalutem ſpectare ſibi videntur. Qua in re, ut obſervavit S. Gregorius, (a) *plerumque hi, qui ſubire magiſterium paſtorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt; & quamvis hoc intentione elationis appetunt, operaturos ſe tamen magna pertractant; fitque ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat*. Atque adeò difficile eſt appetitum Epiſcopatus ab omni vitio expurgare, tamque raro culpâ vacat, ut morali loquendi modo & generatim affirmandum ſit, non eſſe licitum Epiſcopatum deſiderare, vel ad eum obtinendum preces adhibere: quod ſequentibus argumentis demonſtro.

C A-

a Paſtor. par. 1. cap. 9.

CAPUT PRIMUM.

Exemplis Christi, Apostolorum, aliorumque Sanctorum, probatur, non esse licitum Episcopatum desiderare, vel ad eum obtinendum preces adhibere.

NOn ad solum humilitatis specimen, quod dedit nobis Sapientia æterna in lavandis discipulorum suorum pedibus, sed ad omnem prorsus agendi rationem pertinet, quod ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis*. (a) Non minùs actione, quàm sermone docet nos, & in omnibus est *via*, *veritas*, & *vita* (b) nostra. Inter omnes porrò, qui Christiano nomine gloriantur, quo signi-

a Joan. 13. v. 15. b Ibid. 14. v. 6.

ficatur & fidei, & legis Christi professio, cùm primum locum obtineant ejus Ecclesiæ Ministri, hi accuratiùs debent & legem ejus meditari, & imitari gesta, præsertim in iis quæ spectant ad Sacerdotium & Põtificatum, qui ab eo tanquam capite manat in universos Ecclesiæ Rectores ac Ministros. Igitur cùm in omnibus quæstionibus, tum in hac maximè de vocandis ad Episcopatum, consulenda sunt oracula, & exempla veritatis, quæ de se dixit: *Magister vester unus est Christus.*(c) Ad hujus nos præceptoris scholam misit Pater æternus dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*(d)

Christus autem, ut inquit Apostolus, *non semetipsum clarifi-*

rifi-

c Matth. 22. v. 10. d Ibid. 17. v. 5.

rificavit ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos, in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. (e)

Neque ipse omnes, quos ad suam disciplinam vocavit, vel quoslibet ex iis promiscuè Apostolatus dignitate auxit; sed quibusdam dumtaxat dixit; *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, ut scribit Evangelista Sanctus Marcus: *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse.* (f) Cujus vocationis memoriam eis refricans aiebat: *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis.* (g)

Non de solis Apostolis, aut

x Hebr. 5. v. 5. f Marc. 3. v. 13. g Io. 15. v. 16.

etiam de Christo, sed generatim pronunciat Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. (h) *Percutiantur*, inquit S. Anselmus, *hac sententiâ, qui honores Ecclesiasticos, ad quos divinitus non vocantur, accipere cupiunt: qui enim se ingerit, & propriam gloriam quærit, non sumit honorem, si Pontifex, aut Prælatus in Ecclesia factus fuerit, sed gratiæ Dei rapinam faciens jus alienum usurpat, & ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem.*

Is fuit Sanctorum omnium sensus: nec memini, me unquam legisse, quemquam ex iis quos Ecclesia colit ut Sanctos, vel etiam ut bonos commendat, ultro appetiisse, sed potiùs plerosque omnes fugisse Episco-

h Hebr. 5. v. 4.

copatum. Peregrinus eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica, qui plurima rei hujus exempla non legit, cùm paſsim occurrant.

De S. Cornelio Papa ſcribit B. Cyprianus: (i) *Episcopatum non poſtulavit, nec voluit, ſed pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Episcopatum coactus exciperet.*

De ipſo S. Cypriano in ejus vita Pontius ejus Diaconus: *Non præteribo enim*, inquit, *illud eximium, quemadmodum cùm in dilectionem ejus, & honorem totus populus aſpirante Domino proſiliret, humiliter ille ſeceſſit: antiquioribus cedens, & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans.*

i Epiſt. 52.

Quibus artibus non eſt uſus S. Ambroſius, ne Mediolanenſis Eccleſię conſtitueretur Epiſcopus? Vix poteſt immoderata non judicari ejus induſtria, quandoquidem non modò famæ ſuæ non pepercit, inductis in domum ſuam infamibus feminis, ut incontinentiæ ſuſpicionē ſibi accerſeret; ſed etiam crudelem quodammodò ſe exhibuit, ſecretè publicèque damnatis reis, & ſupplicio affectis. *Quàm reſiſtebam*, inquit (l), *ne ordinarer; poſtremò cùm cogerer, ſaltem ut ordinatio protelaretur. Sed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio.*

De S. Auguſtino Poſſidonius Calamitanus Epiſcopus in ejus vita hoc narrat: *Eodem itaque tempore in Eccleſia Hipponenſi Catholica, Valerius Sanctus Epiſ-*

l Epiſt. 25.

Episcopatum gerebat. Qui cùm flagitante Ecclesiastica necessitate, de providendo & ordinando Presbytero civitatis, plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur, jam sciens Catholici Sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta, quoniam & idem in populo securus & ignarus, quid futurum esset astabat. Solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantùm Ecclesiis quæ non haberent Episcopos suam abstinere præsentiam. Eum ergo tenuerunt, &, ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu, & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas ejus, ut nobis ipse retulit, tunc superbè interpre-

tantibus , & tanquam eum consolantibus ac dicentibus: quia locus Presbyteri , licet ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatui . Cùm ille homo Dei , ut nobis retulit , majori consideratione intelligeret , & gemeret , quàm multa & quàm magna suæ vitæ pericula de regimine , & gubernatione Ecclesiæ *impendere, ac pervenire spectaret, atque ideò fleret .*

Sanctus Martinus, ut narrat S. Sulpicius Severus in ejus vita , *ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur : sed cùm erui à Monasterio suo facilè non posset, Huricius quidam, unus de civibus uxoris languore simulato , ad genua illius provolutus , ut egrederetur obtinuit . Ita dispositis jam in itinere civium turbis, sed quadam custodia ad civitatem*

usque

usque deducitur &c.

De Sancto Fulgentio dicitur in ejus vita cap. 17. *Aggregata violentæ multitudinis manu repente Beatus Fulgentius, dolens oculos, in cella propria reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur.*

In vita S. Cæsarii Episcopi Arelatensis à Cypriano quodam ejus discipulo conscripta apud Surium die 27. Augusti, ejus in fugiendo Episcopatu diligentia his verbis refertur: *Cum autem pervenisset ad notitiam Patris nostri, de quo agimus, quòd esset ordinandus Episcopus, intra quædam sepulcra sese abscondit. Sed latere non potuit, quem detexit non culpa, sed gratia. Trahitur igitur è quodam sepulcro vivus, quem non*

mortuum, sed celatum vitæ claritas ostendebat. Cogitur Episcopatus sarcinam suscipere.

Sanctus Gregorius Magnus tamdiu fugit ac delituit, quoad per miracula aspectabilia intellexit, se non posse Pontificatum recusare, nisi divinæ voluntati obstinatè repugnando,

Plures occurrunt vel ipsum officium divinum recitantibus, ut ipso quo hæc scribo die 14. Januarii S. Felix Nolanus, S. Raymundus de Pennaforti die 23. ejusdem mensis, S. Andreas Corsinus die 4. Februarii, die 7. Martii S. Thomas Aquinas, S. Bernardus die 20. Aug. &c, Sed ut appareat, Ecclesiam Catholicam eodem ubique animari spiritu, Latinorum exemplis addenda sunt quædam ex Græcis.

In Sancti Epiphanii vita, cujus autor est Joannes unus ex ejus discipulis hęc legũtur nu. 34. *Unus verò ex Diaconis, capite apprehenso Epiphanio, eum vi duxit ad altare, adeo ut multi quoque alii convenerint, ut eum servarent ad altare. Eum itaque ordinat Diaconum: & rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat Presbyterum. Rursus fit consequentia, & eum ordinat Episcopum. Post dimissionem autem ab Ecclesia ascendimus in Episcopatum. Dixit autem Pappus Epiphanio: Age fili, adhortare patres, ut fruamur & lætemur de tua paternitate. Cùm hoc graviter ferret Epiphanius, & angeretur animo & fleret. Dixit Pappus: Oportebat quidem nos tacere, ò fili Epiphani.* Et num. 35. *Ne irascaris, Pater.*

Sum enim homo, nec ſufficio implendæ menſuræ Sacerdotii.

De Ammone ſanctiſsimo Monacho refert Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ cap.12. eum reſecuiſſe ſibi auriculam, ut ſe redderet irregularem, & ad Epiſcopatum, ad quem vocabatur à Timotheo Alexandrino Epiſcopo, non cogeretur. De Nilamone item Monacho narratur à Sozomeno *lib.* 8. *cap.*19. (& legitur in Martyrologio die 6.Januarii) eum mortem à Deo expetiiſſe, obtinuiſſeque, ne Epiſcopatum urbis Geras ſuſciperet.

Quantùm reſtiterit, ne ad Epiſcopatum efferretur, Syneſius, ex multis ejus Epiſtolis intelligitur. In undecima hæc ſcribit Presbyteris: *Neque vobis anteà Superior eſſe potui,*

cùm

cùm totis viribus, & adhibitis machinis omnibus detrectarem: neq; me modò vos superastis; sed divinitus profectò contigit, ut & nondum tunc, & nunc primùm ita sit factum. Equidem nō unam mortem ejus functionis vitandæ causâ subiissem. Neque enim satis idoneum me putabam, qui rei dignitatem sustinerem.

Omitto SS. Basilium, Gregorium Nazianzenum, Theodoretum, & plures alios: sed prætermittere non possum Sanctum Joannem Chrysostomum, qui se idcirco Episcopatum fugisse affirmat, (a) quòd ejus desiderium animo suo inesse sentiret. *Nos autem cupiditatis, desideriique istius morbo vehementer laboramus: quæ res unà cum aliis omnibus non parum nos exterruit, atque*

a lib. 3. de Sacerd.

atque in fugam hanc vertit . . . . . . Porrò una hæc causa non mediocris est, quæ ut sola existat, tamen idonea fuerit, quæ nos à munere isto arceat. Deus bone! quàm pauci S. Joannis Chrysostomi religione anguntur! Tantùm abest ut Ammon, Nilamon, aut alii, quorum modò mentionem feci, multos nostris temporibus habeant imitatores, ut sine temeritate judicari possit, plures futuros, qui sibi aures præciderent, si ad consequendum Episcopatum foret opus, quàm si necessarium esset ad eum fugiendum,

Sed exemplorum satis; fortè etiam nimis. Nam sive numeri, sive ponderis habeatur ratio, qui tantæ autoritati non cesserit, ejus insanabilis videtur

tur ambitio. Hinc ergo, ut cum Sancto Gregorio dicam, *Quique præcipites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si Sancti viri plebium ducatum suscipere Deo etiam jubente timuerunt &c.* (m)

Preponenda fuerunt Sanctorum facta eorum dictis; quoniam, ut ait S. Bernardus, (n) *Sermo vivus, & efficax, exemplum operis est, plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.* Postquam igitur vidimus quid egerint Sancti, audiamus quid dixerint.

CA-

m Past. par. 1. cap. 7. n Serm. in Natal. S. Bernard.

CAPVT II.

Sanctorum doctrina de appetitu Episcopatus.

B*Onum eſt*, inquit Origenes, (a)*non proſilire ad eas, quæ à Deo ſunt dignitates & principatus & myſteria Eccleſiæ, ſed imitari Moyſen, & dicere cum eo, Provide alium, quem mittas. Neque ad Principatum Eccleſiæ venit, qui ſalvari vult, ſed ad ſervitutem Eccleſiæ*. Sed multi ſtatim auditis verbis, *bonum eſt*, negligunt quæ ſequuntur, ea de conſilio, non de præcepto, interpretantes.

Eamdem interpretationem adhibebunt huic vocabulo, *indecenter*, in hoc loco S. Auguſtini *de Civit. Dei, lib.* 19. *cap.* 19. *Lo-*

a Homil. 6. in cap. 6. Iſa.

Locus superior sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium sanctum quęrit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.

Sed quo diverticulo vim effugient loci S. Anselmi jam adducti, aut hujus Sancti Joannis Chrysostomi? (b) *Multa enim*, inquit, *alia sunt, Basili, præter ea quæ jam à nobis dicta sunt, quæ Sacerdotem præstare oportet, ac quæ certò in nobis non agnoscimus. Inter quæ illud præcipuum, Sacerdotis animum honoris illius desiderio undique vacare*

b lib. 3. de Sacerd.

care oportet. Itemque; *Si quis, Episcopi munus appetit, bonestum opus desiderat. At ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. Atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abjiciendum esse censeo, ut ne animum quidem ipsum prorsus permittas ab illo occupari, ut is rerum omnium liberè agendarum potestatem habeat.*

Atque etiam si quis ab omni ambitione, & à cæteris vitiis solutus esset & liber; quod vix quisquam potest sine arrogantia de se existimare; non tamen propterea, si deessent alia signa continuò judicandum esset, eum ad Episcopatum divinitus vocari. Nec enim Deus ad id munus destinavit omnes bonos, omnesve sapientes.

Qua-

Quamobrem S. Bernardus à quodam Brunone consultus de accipiendo Episcopatu Coloniensi, ad quem fuerat electus, respondet: (c) *Quæris à me consilium, vir illustris Bruno, an volentibus te promovere ad Episcopatum acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat: quis audeat dissuadere? Fortè non vocat: quis appropinquare consulat? Utrùm verò vocatio Dei sit, an non sit; quis scire possit, excepto spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui fortè revelaverit ipse?* Ex quibus intelligitur, quanti momenti sit in suscipiendo Episcopatu divina vocatio.

Ejus necessitatem, etiam dum electi virtutibus præditi sunt, declarat idem Sanctus (d) dum

c Epist. 8. d Epist. 13.

dum Albericum Electum Catalaunensem commendans Summo Pontifici scribit: *Novimus hominem sanæ fidei & doctrinæ hactenus extitisse; & speramus in domo Dei*; (audi conditionem) *si tamen ipse elegit eum, fore vas in honorem, & utilem futurum non solùm illi, sed & omni Gallicanæ Ecclesiæ.*

Nec verò Sancti Bernardi, aliorumq;Sanctorum Patrum, sensus religioni, seu scrupulo, ut vulgò loquuntur, qui omnia sibi parum grata, quamvis vera, ut severiora rejiciunt, tribuendus est, aut Hyperbolæ, cujus figuræ, aut etiam amplificationis nomine aliqui enervare conantur quæ austeriora videntur in scriptis Sanctorum Patrum, quasi fuerint ab eis vehementiori cum zelo

concionantis dicta. Etenim Angelicus Doctor, qui & in veritatem acutissimo ingenio penetrare solet, & pro sua maxima sapientia & prudentia, justis inter extrema finibus eam circumscribere, non modò non tradit, sed robustis etiam rationibus confirmat, non licere divinam vocationem prævenire desiderio Episcopatus.

Secundâ secundę quæst. 185. art. 1. cor. *Respondeo*, inquit, *dicendum quod in Episcopatu tria possunt considerari, quorum unum est principale & finale, scilicet* Episcopalis *operatio, per quam utilitati proximorum intenditur... Aliud autem est altitudo gradus: quia Episcopus super alios constituitur... Tertium autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reve-*

rentia

rentia & honor, & sufficientia temporalium.. Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum, manifestum est, quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem..... Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum..... Sed appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile, & virtuosum. Verùm quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur quod aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente, sicut Greg. dicit in pastor. quod tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quoniam per hunc quēquam dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Quod-

Quodlib. 2. art. 11. cor. ait: *Qui appetit prælationem aut est superbus, aut injustus. Injustitia enim est, quod aliquis velit sibi plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, ni sit maioribus dignus, ut dicitur in 5. Ethicorum. Quod autem aliquis æstimet se esse magis dignum prælatione omnibus illis super quos prælationem accipit, superbiæ & præsumptionis est. Unde patet quòd quicumque prælationem appetit, aut est injustus aut superbus. Et ideo nullus suo appetitu debet ad prælationem pervenire, sed solùm Dei judicio.* Et quodlib. 3. art. 9. cor. *Charitatem per quam aliquis est idoneus ad officium pastorale, non potest aliquis certò scire se habere. Et ideo semper est vitiosum Pontificatum appetere.*

Item *de perfectione vitæ spiritualis* (quod est opusc. 18.) c. 19. *Quod aliquis sponte ad prælationis statum aspiret, vel nimiæ præsumtionis est, si se tam fortem existimet esse, ut inter pericula possit manere securus, vel omnino suæ salutis curam non habet, si peccata vitare non curat. Ex his ergo apparet, quòd prælationis status, etsi perfectus sit, tamen absque vitio concupiscentiæ appeti non potest.*

Tantùm autem abest, ut Sanctus Doctor ex iis fuerit, *qui dicunt, & non faciunt, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere,* (e) cujus hypocrisis pharisaicæ benigniores, ut vocari volunt, doctores, alios insimulant, quos Rigori-

sta-

e Matth. 23. v. 3. & 4.

starum, aut Rigidorum nomine notant; ut non modò non ambierit dignitates ecclesiasticas, sed etiam oblatas constantissimè recusaverit. *Ab Urbano IV. Romam vocatus*, inquit Ecclesia in ejus officio, *adduci non potuit, ut honores acciperet. Archiepiscopatum Neapolitanum etiam deferente Clemente IV recusavit*. Eamdem agendi rationem in omnibus, aut ferè omnibus iis observare licet, quos suprà commemoravi.

Sed profero testes in re certa non necessarios. Nec enim dubium esse potest cuiquam rerum ecclesiasticarum vel mediocriter perito, Sanctorum factis ac dictis damnari Episcopatus desiderium. Verùm ne cupiditas cuiquam persuadeat rerum statum ita hodie immu-

tatum esse, ut similia exempla omnino deficiant; ex multis recentibus quæ commemorare possem unicum haud ita antiquum adjiciam.

Beatus Andreas Avellinus, Clericus Regularis in Epistola, quæ in ejus vita cap. 19. refertur à P. Ioanne Baptista Castaldo ejusdem Instituti, quid hac de re sentiret, quidque ipse fecisset narrat verbis vulgaribus, quorum hæc est sententia:
„ Mihi, ut ingenuè dicam,
„ plurimùm displicuit, quòd
„ dominatio tua libenter acce-
„ perit Episcopatum, nullo
„ præcepto compulsa: quo-
„ niam quamvis ipse priùs
„ quàm Juri Civili & Canoni-
„ co operam dedissem, libens
„ oblatum suscepissem: ta-
„ men cùm ante quinquagin-

ta

„ ta duos annos Decreto stu-
„ derem, & aliis Sanctorum li-
„ bris, cognosceremque quan
„ to se damnationis periculo
„ exponant, qui appetunt, &
„ libenti animo accipiunt Epi-
„ scopatus, & alia Beneficia Ec-
„ clesiastica; non solùm expa-
„ vescebam, cùm accipiendo-
„ rum Episcopatuum se dabat
„ occasio, sed ne ullum qui-
„ dem Beneficium simplex, &
„ ab animarum cura liberum,
„ volui unquam accipere,
„ quamvis invito mihi confer-
„ rentur. Atque dum Cardi-
„ nalis Pisanus vestes suas Epi
„ scopales donavit mihi, vo-
„ lens ad Episcopatum me pro
„ vehere ob insignia beneficia
„ etiam cum vitæ periculo à
„ me illi præstita, quando Le-
„ gatus ad Imperatorem mis-

,, ſus fuit: ipſe venditis veſti-
,, bus Epiſcopalibus ingreſſus
,, ſum Religionem, quod ille
,, rediens ægrè admodum tu-
,, lit. Fili mi jam error admiſ-
,, ſus eſt, ejus pœnitens ſic vi-
,, tam inſtitue, ut eum tibi
,, Deus condonet.

Apparet igitur non modò Sanctorum conſenſus de non appetendo Epiſcopatu, verùm etiam ratio multiplex ejus ſententiæ. Attamen ut veritas clariùs eluceat, juvabit diſtinctè breviterque ſingulas rationes exponere.

CA-

CAPUT III.

Rationibus ostenditur, illicitam esse Episcopatus appetitionem.

PRimò, Nemo sanæ mentis, ac præjudiciis cupiditatibusque vacuus non intelligit, impudentem eum fore, qui primarium officium in domo Principis occuparet cõtra ejus voluntatem, vel etiam præter ejus accersitum, quantumvis se judicaret idoneum. Num igitur in Domo Dei, quæ est Ecclesia, licebit usurpare Præfecti munus ac dignitatem sine patrisfamilias assensu, aut etiam ipso non vocante, quantumvis aliquis sibi dignior videatur?

Reſponderit fortaſſe, ſe temeritate, aliiſque vitiis atque etiam periculis, ſaltem proximis, eſſe liberum, quoniam in Epiſcopalem dignitatem non ipſe ſe infert autoritate privata, ſed ab iis, ad quos id juris pertinet, eligitur, nominatur, & admittitur.

At 1. Hinc quidem ſequitur, eos qui ad Epiſcopatum efferuntur, non carere charactere ac juriſdictione neceſſariis, ut valeant Sacrificia, Sacramenta, & alia quæ conficiunt; quoniam hæc Deus Optimus Maximus propter Eccleſiæ bonum & fidelium ſalutem noluit à Miniſtrorum bonitate vel nequitia pendere: verùm ambitionis vitium non propterea tollitur ex animis expetentium, neque in tuto ponitur eorum conſcien-

scientia; maximè quando, ut ferè semper contingit, eliguntur aut instituuntur ab iis, quibus eorum vita, prudentia, moresque comperti perspectique non sunt. 2. Non omnes illi qui operam conferunt ad præficiendos Episcopos, verbi gratiâ, testes, Electores, &c. Ecclesiæ utilitatem, aut animarum salutem spectant, sed magis vel sua, vel amicorum commoda. 3. Frustra si sua ipsorum conscientia testatur, eos virtutibus necessariis non esse præditos, culpam in alios conjicere student. 4. Non sola pietas, vel doctrina, desideratur, sed multa simul naturæ bona, & Dei dona, v.g. prudentia, fortitudo &c. ut quis judicetur divinitus vocatus ad tam difficile tamque arduum mu-

nus. Nam cùm hodie aſpectabilibus miraculis Deus ad Epiſcopatum non vocet, maximâ diligentiâ utendum eſt in exploranda ejus voluntate. Neque enim qui Epiſcopum inſtituit, eum ſua autoritate vocat, ſed Dei vocantis eſt interpres; qui niſi fidelis ſit, & ipſe grave ſuſcipit conſcientiæ pondus, neque alterius liberat conſcientiam.

Secundò, qui Epiſcopatum deſiderat & conſectatur, vel illo ſe dignum exiſtimat, vel indignum: ſi dignum putat, admodum arrogans eſt: ſi indignum, valde temerarius. Etenim cùm tot difficultates totq; pericula occurrant hoc munus exercentibus, ob eamque cauſam, ut in quæſtione ſequenti firmabitur, non niſi digniori-

bus

bus conferendum sit, postpositis etiam dignis quidem, sed minùs quàm aliis: quis sine superbia nimiaque sui existimatione potest se privato judicio aliis omnibus præferre, tanquam illis omnibus tam arduæ administrationi magis idoneũ? Quis prudens tantum discrimen ultro subire, *onus Angelicis* etiam *humeris formidandum* sponte sua sibi imponere non vereatur?

Tertiò, Episcopus, ut ipsius nomen significat, excubare debet ac vigilare, ut omnes fideles gubernationi suæ subjecti, ad leges divinas sic conforment vitam, moresque suos, ut ad vitam & gloriam æternam pervenire mereantur. Quòd si ejus ignorantiâ, negligentiâ, vel pravo exemplo aliquis pe-

reat, reddet animam pro anima; *cùm certissimum sit*, ut ait Concil. Tridentinum, (a) *non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit*.

Quartò, Quid? Quòd non solùm de peccatis à fidelibus Episcopali curæ commissis ratio exigatur ab Episcopo, sed etiam de illorum profectus detrimento. Debent enim Episcopi non modò purgare, sed etiam illuminare ac perficere omnes illos quibus præfecti sunt. Quo igitur pacto culpâ vacabunt, si ambitiosè se intulerint in rectionem animarum, quam alii gesturi erant majori cum utilitate fidelium, & Dei gloria?

Quintò, Qui à se divitias & honores abdicant, carnisque fu-

a Sess. 6. de Refor. cap. 1.

fugiunt illecebras, vix possunt se à Diaboli laqueis expedire: num tutò aliquis in statu, in quo hæc omnia plerumq; abunde suppetunt, sua se sponte potest collocare? Quis confidat, honorem Episcopis deferri solitum se ad Deum fideliter relaturum? Bona Ecclesiæ tanquam Dei bona in usus ad quos destinata sunt, se accuratè dispensaturum? Non abusurum sua potestate? Non transiturum modum in corporis, vitæ, dignitatisque cultu?

Sextò, Quàm metuendum est, ne Episcopum propinquorum ac consanguineorum amor emolliat; ne eos cum suo & ipsorum periculo ac pernicie bonis, & reditibus Ecclesiæ augeat, ne proventuum Ecclesiasticorum administrationis fa-

ciat

ciat participes, cum Ecclesiæ detrimento majoris ejus utilitatis specie.

Septimò, Tanti momenti est electio Clericorum, præsertim eorum, qui sub Episcopo curam fidelium gesturi sunt, ut mirum sit, Episcopos non perhorrescere, dum hæc verba proferunt ex Pontificalis præscripto; *Quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari à Domino, sed remunerari potiùs mereamur.*

Et verò Episcopus errores, culpas, animarum ruinas, aliaque damna, quæ ex præpostera vel imprudenti Beneficiorum distributione, Sacramentorum administrandorum facultate manant, præstare seu pœnas dare cogetur apud supre-

premum Judicem, à quo *Judicium durissimum his qui præsunt fiet.* (b)

Quanquam hæc non solùm certa, sed etiam evidentia sunt; eorum tamen lucem repellere solent illi, quibus non placent, oppositis excusationibus, frivolis quidem, sed ipsorum judicio solidis, quæ jam dissolvendæ sunt.

CAPUT IV.

Dissolvuntur argumenta ambientium Episcopatum.

PRimò, Nihil tam frequenter decantatur ab ambientibus Episcopatum, quàm illud Beati Pauli; (a) *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, quod putant solidum esse suæ ambitionis propu-

b Sap.6.v.6. a 1.Tim.3.v.1.

pugnaculum. Enimverò cùm bonitas & malitia voluntatis, consilii, & actionis, ab objecto manet, rei bonæ non videtur nisi bonum esse posse desiderium, nisi aliquâ circumstantiâ corrumpatur. Non igitur damnanda videtur, saltem simpliciter & generatim, Episcopatus ambitio, quē & Apostolus commendat, & rem esse sanctissimam nemo fidelis negaverit.

Ut hoc argumentum sæpe oppositum, ita semper à Sanctis Patribus & Theologis dissolutum est. *Ex hoc*, inquit Doctor Angelicus *Comment.* in hæc ipsa verba 1. *ad Timot.* 3. *lect.* 1. *sumpserunt aliqui occasionem ambitionis Episcopatus & prælationis. Sed non rectè intelligunt quod hîc dicitur. Apostolus enim hîc voluit ostendere*

quid

quid pertineat ad Episcopum. Episcopus est nomen græcum, scopos enim idem est quod intendens, epi. id est supra, Episcopus ergo dicitur quasi super intendens. Duo ergo sunt consideranda in Episcopo, scilicet gradus superior, & actio plebi utilis. Aliqui enim projiciunt fortè oculum ad ea quæ circumstant eum, scilicet quod qui præest honoratur, & quòd habet potestatem. Et qui propter ista desiderat Episcopatum, nescit quid sit Episcopus. Et ideo dicit Apostolus quid sit Episcopus, & quid desiderat qui Episcopatum desiderat, quia bonum opus. Non dicit bonum desiderium habet, sed bonum opus, scilicet utilitatem plebis. Sed numquid licet ipsum desiderare? Augustinus dicit quod non Glo. Locus superior sine quo regi non

non potest populus, & si teneatur & administretur decenter, tamen indecenter appetitur. Et idem dicit 19. de civ. Dei, cujus ratio est, quod nullus debet appetere aliquid supra vires suas non sibi proportionatum, aliàs esset stultus. Horatius. Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. Ille ergo bene Episcopatum desiderare posset, cujus facultas Episcopatui esset proportionata. Ad hoc autem nullus est idoneus: quia prælatus secundùm gradum & convenientiam debet omnes alios excedere in conversatione & contemplatione: ita ut in respectu sui alii sint grex. Et hanc idoneitatem de se præsumere, est maximæ superbiæ. Aut ergo appetit circumstantias, & tunc nescit quid appetat, quia non est hic Episcopatus; vel ipsius

opus, & hoc est superbiæ. Et ideo non est accipiendum nisi impositum. His similia docent Sancti Patres. Igitur Episcópatus bonus est, imò excellentissimus, sed hoc ipso administratu difficillimus; ex quo fit ut raró possit sine arrogantia vel temeritate appeti; atque tam raró, ut secundùm moralem loquendi modum exceptiones regulę generali minimè derogent.

Secundò. At, inquies, si non solùm Episcopatus, sed etiam ejus desiderium aliquando bonum est; quidni semper, modò prava circumstantia non accedat? Etenim cùm finis, & aliæ circumstantiæ sint in potestate hominis, potest eas cùm voluerit, adjuvante Deo, removere. Respondeo, S. Thomam 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 1. *cor.* unicam,

cam, ad ſummum duas exceptiones regulæ generali adhibere his verbis; *Verùm quia prout eſt Epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur quod aliquis præeſſe appetat ad hoc quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente, ſicut Greg. dicit in paſtoral. quod tùnc laudabile erat Epiſcopatum quærere, quoniam per hunc quemquam dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire. Unde non de facili inveniebatur qui hoc onus aſſumeret, præſertim cùm aliquis charitatis zelo divinitus ad hoc incitatur.* Patet autem continuo mortis timore facilè excludi ſuperbiam, & alia vitia, quorum periculum ſubeunt qui ultro ambiunt Epiſcopatum. Quòd ſi neceſſitas orire-

tur

tur ex hominum ad id muneris idoneorum penuria, quæ vix tanta, hoc præsertim tempore contingere potest, ut absque humilitatis detrimento judicare cuiquam liceat, Ecclesiæ grave damnum inferendum, nisi ipse ad dignitatem Episcopalem extollatur: tum si evidens esset necessitas posset aliquis Episcopatum sine præsumtione seu nimia sui existimatione desiderare; quoniam etsi qui sponte officium aliquod suscipit, debet in se vires virtutesque illi pares agnoscere; alioqui sons est non solùm ob malum admissum, sed etiam ob bonum omissum: at verò cùm non suppetunt homines nisi qui obfuturi magis sint, quàm profuturi; licet aliquis officium suum partibus omnibus

bus expleturum non confidat; tamen velle poteſt id efficere, quoad poteſt. Melius enim eſt Eccleſiam ex parte juvari, quàm omnino deſertam eſſe. Atque tum prudenter ſperari poteſt divinum ſubſidium, cùm Deus ipſa neceſſitate vocare videatur, ac dicere; *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Itaque temeritate vacaret, qui cum Iſaia reſponderet: (b) *Ecce ego, mitte me*. Dummodo vitiis careret, quæ tanto munere faciunt indignum, atque etiam virtutibus præditus eſſet, quæ dignum aliquo modo & utilem redderent. Qui autem inſtinctu Spiritus Sancti ad Epiſcopatus deſiderium incitaretnr, quoniam divinus ille impulſus ſibi fideliter obſequentes non modò ad bonum, ſed etiam bene inducit,

b Iſa.6. v. 8.

cit, ambitionis aliorumque vitiorum periculo non se committeret, nisi ipse Dei opus inquinaret. In quo tamen cavendum est, ne æstus gloriæ sit, qui divinus spiritus putatur. Hoc enim tempore rarissimè accidit ut aliquis à Spiritu Sancto impellatur ad desiderandum Episcopatum; cùm præsertim, ut jam observatum est, non sit tanta necessitas, & idoneorum hominum inopia.

Tertiò. Quæritur, cùm constet, Episcopatum, quippe per se bonum, laudabiliter, vel saltem sine culpa, desiderari posse, nisi desiderium pravâ aliquâ circumstantiâ corrumpatur; quin poterit homo & bonum finem sibi proponere, & pravas prævidere circumstantias? Cùmque possit, cur judica-

dicabimus eos non facere qui Epifcopatum appetunt? Quamvis enim conjunctus fit honor, & quidquid neceffarium eft ad vitam commodè ornatèque degendam; tamen quoniam neque hoc malum eft, quin potiùs ad exequenda Epifcopalia munera perquàm utile, & juri Divino & Ecclefiaftico valde congruit; poterunt illa commoda exoptari tanquam functionum Ecclefiafticarum adjumenta.

Refpondeo, longè difficiliores effe præcifiones cordis, quàm mentis, quando voluntate feparanda funt commoda cum appetitus fentientis cupiditatibus congruentia, ab aliis rebus, quibufcùm funt conjuncta. *Nam*, ut ait Sactus Gregorius; (c) *Sæpe fibi de fe mens ipfa*

c Paft. par. 1. cap. 9.

ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. Quin etiam cùm in appetendis dignitatibus & officiis debeat esse proportio inter virtutes hominis, & præstantiam rei, non video quomodò quis possit absque arrogantia dignitatem ambire, cujus munera sunt adeo ardua, ut non nisi à viris perfectis, & qui possint alios perficere, tutò possint obiri. Enimverò Episcopatus status est perfectionis non acquirendæ tantùm, qualis est Monachorum & Religiosorum, qui excolendæ animæ suæ dumtaxat vacant, sed jam acquisitæ. *In genere perfectionis secundùm Dionysium* (verba sunt D. Thomæ) (d) *Episcopi se habent ut perfe-*

d 2. 2. qu. 84. art. 7.

ctores, Religiosi autem ut perfecti; quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quàm in Religiosis. Quis autem de se potest existimare se virtutibus omnibus pollere, quæ requiruntur ut omnes Diœcesis suæ fideles ad perfectionem, ad quam Deus illos destinavit, perducat? *Appetere*, inquit idem Sanctus Doctor, (e) *proximis prodesse, est secundùm se laudabile & virtuosum, verùm quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.* Itaque quamvis avaritia & commodorum con-

e 2. 2. q. 185. art. 1.

consectatio possent ab Episcopatus desiderio sejungi; non tamen præsumtio, si ultro appetatur: quoniam nemo potest se huic dignitati parem existimare, nisi se maximis virtutibus præditum judicet, & reliquis omnibus meliorem, atque ad exequendas tam arduas functiones aptiorem.

Quartò, Opponunt, alia ardua & difficilia, verbi gratiâ, divini verbi prædicationem, martyrium, & perfectionem ipsam, sine præsumtione posse exoptari; quidni poterit etiam Episcopatus: quippe si ad vires nostras attendamus, eas vincit vel minimum bonum ordinis supernaturalis? *Sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (f) qui, ut dixit: *sine me nihil potestis facere.*

f *Luc.* 18. v. 27.

cere, (g) ita etiam; *ſufficit tibi gratia mea*. (h) Itaque *qui ſufficientes non ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis*. (i) *Omnia poſſumus in eo qui nos confortat*. (k)

Sed facilis eſt reſponſio. Nam primò etiam prædicatio ſuſcipi non debet ſine divino vocatu, ſeu miſſione. *Quomodo prędicabunt niſi mittantur?* inquit Doctor gentium. (l) Quamobrem etſi Deus quaſi quærere videretur prædicatorem; *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Iſaias hoc audiens ſe quidem obtulit. *Ecce ego mitte me*. (m) Verùm præterquàm quòd Divinam miſſionem poſtulavit, certus erat ſe charitate neceſſaria pręditum, quod ei ſignificaverat

An-

g Ioan. 15. v. 5. h 2. Corint. 12. v. 9. i 2. Cor. 3. v. 5. k Philip. 4. v. 13. l Rom. 10. m Iſa. 6. v. 8.

Angelus, os ejus accenso carbone purgans. Accedebat necessitas, verbis sollicitudinem & anxietatem significantibus expressam: *Quem mittam? &c.* Quamobrem sine arrogantia & præsumtione judicare poterat, se rem Deo gratam facturum, & ab eo juvandum. Secundò Neque martyrium ipsum licet ultro adire, nisi Spiritus Sancti peculiari instinctu: quod declaravit Ecclesia, dum eos ut Sanctos coli vetuit, qui se sponte sua tam arduo certamini exposuissent. Tum quidem, ut suprà monuimus, Deus opem fert, cùm necessitate, quasi quadam voce, denunciat, velle se arduum aliquod opus, vires nostras vincens, à nobis edi; sed cùm ultro & absque necessitate extraordinarium aliquid ag-

aggredimur, ipsa præsumtione digni sumus qui ab eo deseramur. Tertiò, *Est præsumtuosum*, inquit Doctor Angelicus, (n) *quòd aliquis perfectum se reputet, non autem, quod ad perfectionem tendat. Quamobrem statim addit: Ille qui statum Religionis assumit, se aliis subjicit ad spiritualia capienda, & hoc cuilibet licet. Unde August.* 19. *de Civit. Dei. dicit: A studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile otium pertinet: sed ille qui transit ad statum Episcopalem, sublimatur ad hoc quod aliis provideat, & hanc sublimationem nullus debet sibi assumere.*

CA-

n 2.2. q.185.art.1. ad 2.

CAPVT V.

Conclusio primæ quæstionis.

SI quis Episcopatus ambitum licitum esse contenderit post Christi, Apostolorum, innumerabilium Sanctorum exempla, contra eorum sententiam, contra rationes allatas, consideratis responsionibus ad argumenta contraria; contra eum diutiùs disputandum non esse, persuasissimum habeo; nec tam illustrandum ratione vel autoritate animum ejus censeo, quàm orandum Deum, ut ejus voluntatem moveat & flectat.

Illum his S. Joannis Chrysostomi verbis alloquar: (a) *Omnium quos regis, mulierum & vi-*

a Hom. ult. in Epist. ad Hebr.

virorum & puerorum à te reddenda est ratio, & tanto igni caput tuum subjicis? Miror an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus, cùm videat post minas & præsentem socordiam, aliquos adhuc accurrentes, & se conjicientes in tantam molem rationis & administrationis. **Nam** *si ii qui necessitate trahuntur, non habent quò confugiant, & quo se excusent, si rem male administrent & sint negligentes .... quantò magis ii qui in hoc suum studium ponunt, & in id irruerunt? Qui est autem talis, longè magis omni se privabit venia &c.*

Sed adhuc graviùs Sanctus Bernardus. (b) *Tollitis*, inquit, *& non accipitis claves; de quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipsi regnaverunt & non* ex

b De convers. ad Cler. cap. 19.

ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. Ose. 8. v. 4. *Unde tantus prælationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta? Unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet Reguli, non præcipiente, aut etiam probibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur.* Et infra; *Væ ministris infidelibus, qui nec dum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint apprebendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ qui pacificorum sibi usurpare*

gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt. Non miramur, fratres, quicumque præsentem statum Ecclesiæ miseramur; non miramur de radice colubri Regulum orientem. Hæc S. Bernardus, & alia his similia.

Quòd si Episcopatum desiderare non licet; num licere putamus, ad illum obtinendum preces adhibere? *Si verò*, inquit Sanctus Thomas, (c) *aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumtione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno.*

Sed de candidatis Episcopalibus satis, licet parum, si cum mul-

c 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.

multitudine rerum quæ dici possent comparetur; quorum omnium conclusio & summa sit sapientissima hæc S. Gregorii Magni sententia; (d) *Inter hæc itaque quid sequendum est? Quid tenendum? nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.*

Jam ad eos sermonem convertamus, quorum est Episcopos designare vel instituere, qui si rectè officio suo fungantur, dissolvent vanas ambitiosorum excusationes. Nam, verbi gratiâ, quod hi dicunt: Putas, nos, si fugiamus, si lateamus, ad Cathedras trahendos? Non quidem, si fugâ & latebrâ contentus sis. Esset enim perfacilis ad Episcopatum via; sed si vera humilitate à digni-

d Past. par. 3. cap. 10.

tatum aucupio recedens in acquirendas virtutes totus incumbas. Nam, ut ſanxerunt etiam Imperatores Leo & Anthemius *l. ſi quemquam* 79. *Cod. de Epiſcopis & Clericis*. VI. *Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus* (qui eligitur Epiſcopus) *ut quæratur cogendus; vocatus recedat; invitatus effugiat; ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

CA-

CAPUT VI.

Proponitur & dissolvitur altera quæstio: Utrùm sit peccatum, dignioribus posthabitis, minùs dignos ad Episcopatus eligere; & in quo sita sit illa major vel minor dignitas

SUperfluere fortasse cuipiam videbitur hęc quęstio; quoniam responsio facilè colligi potest ex jis, quæ in explicatione superioris dicta sunt. Verùm cùm multi sint, qui, rei naturâ & gravitate non bene consideratis, satis esse arbitrentur, si dignus eligatur, quamvis suppetant digniores, aut saltem peccatum grave non esse, non eligere digniorem; omnino necessarium est hujus rei veritatem

tem diligentiùs inquirere, ac palam facere.

Principio igitur examinandum eſt, in quo poſita ſit illa major vel minor dignitas eligendorum: quod luculentè Doctor Angelicus explicuit (a) his verbis; *Dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter. Uno modo ſimpliciter, & ſecundùm ſe, & ſic majoris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quòd ille, qui eſt minùs ſanctus, & minùs ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſecularem, vel propter aliquid hujuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem.*

a 2. 2. q 63. art. 2 in Cor.

tem communem, secundùm illud 1. *ad Cor.* 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium, illi, qui sunt simpliciter minùs boni, melioribus præferuntur.*

Dum autem meliores eligendi dicuntur, hoc de illis est accipiendum, qui post allatam convenientem diligentiam possunt haberi. Etenim quid juvat præstantissimos viros, & Episcopali officio pares alicubi existere (si tamen tanto muneri quisquam inter homines par dici potest) quando ad illud capescendum neque adduci possunt, neque cogi? Prætereà non ad solam Episcopatus præstantiam spectandum est, dum ei quispiam præficiendus est:

est : alioqui lustrandus esset orbis universus, ut vir maximè idoneus inveniretur. Sufficit igitur, & necesse est eorum, qui, adhibitâ diligentiâ, & prudenti inquisitione, ut in rebus arduis fieri solet, haberi possunt, dignissimum aliis, quamvis dignis, anteponere. Quod quidem, ut jam indicavi, ex iis quæ de prima quæstione dicta sunt abunde liqueret, nisi contra id quod cupiunt homines nihil satis clarum, aut satis certum videretur.

In foro quidem externo, dummodò qui electus est sit dignus, quamvis proponereretur dignior, non immutatur electio, ut observat Sanctus Thomas in loco modò citato *ad tertium*. *Quantùm ad hoc*, in-

inquit, *quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Verùm secundùm fori etiam externi leges eligendi sunt digniores, ut ostendetur cap. 8. quamvis, ut dicebam, non rescindatur electio minùs digni, dummodò dignus sit.

CA-

CAPUT VII.

Ratione ac Patrum autoritate probatur, vocandos ad Episcopatum digniores, postbabitis aliis.

TAm pauci virtutibus illis præditi sunt, quæ Apostolus (a) in iis, qui ad eam dignitatem efferendi sunt, requirit, ut vix in uno simul omnes reperiantur. Quapropter si quis regulam Apostoli sequatur accuratè, raró poterit eligere dignum, nisi digniorem eligat, ac si ei multi æquales videantur, metuendum est, ne illa æqualitas in ejus æstimatione potiùs sit, quàm in re ipsa, seu in hominibus, quorum merita comparantur; quip-

a 1. Tim. 3. tit. 1.

quippe majora ferè semper apparent bona eorum quos amamus, aut quibus favere cupimus; minora eorum, quos optamus postponi.

Quòd si Dei gloriam, animarum salutem, & suum ipsorum officium spectent, qui eligunt, non sua commoda, hominum commendationes, aut alia his similia, non puto eos electuros nisi digniores: quod ipsa naturalis ratio præscribit, non satis esse judicans bonos præferre malis, sed meliores etiam præcipiens anteponere bonis; præsertim ad ea officia in quibus parva virtutis inæqualitas magnum sæpe discrimen parit in eventibus.

Enimverò cùm fidelitas, cura, & diligentia negotiorum gravitati pares esse debeant; nihil

nihil autem Dei gloria, & populorum ſaluti magis conducat, quàm ſi boni Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idonei præficiantur, non poteſt hac in re negligentia, vel infidelitas, non eſſe grave peccatum. Certè ſi interfecto, vel aliter deficiente exercitus Imperatore, is, qui alium ſubſtituendi haberet à Principe poteſtatem, poſtpoſito Duce, quem omnibus conſideratis judicaret aptiſſimum, alium ſibi conſanguinitate, vel amicitiâ conjunctum præficeret, peccaret graviter in Principem, atque in Rempublicam. Nam cùm victoria ſæpe à minimis rebus pendeat; ſumma imprudentia eſt, rerum ſummam ei non deferre, qui omnium optimè poſſit Reipublicæ

ſa-

ſalutem in tuto ponere. Ac profectò qui peccaſſet in Ducis delectu, non putaret juſtam fore ſuam excuſationem, quòd elegiſſet bonum Ducem, cùm poſſet habere meliorem qua igitur ratione ſe excuſabunt apud Supremum mundi Dominum, qui cùm poſſent & deberent operam præſtare ad conſtituendos Præfectos domus Dei, quæ eſt Eccleſia, relictis iis, qui potuiſſent & plura mala corrigere, & ad plura bona in Dei honorem, & in utilitatem animarum, pretioſo Sanguine Chriſti redemptarũ, adjuvare, alios inſtituiſſent minùs idoneos?

Ea fuit Sanctorum ratio, ut in præficiendis Paſtoribus Eccleſiis vacantibus, primò ut arcerent indignos, deinde ut optimos

timos deligerent: quod S. Gregorius (b) significat his verbis: *Si melior inveniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur involutus, conscendi ad eum, cogente nimia necessitate potest.* Et Epist. 47. *quia à Clero & plebe Ecclesiæ Siracusanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur: huic qui à Clero & plebe electus est, ad nos interim venire necesse est; ut utrisque cominus constitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit, ordinetur.*

Manifestam electi præ cæteris omnibus dignitatem esse volebat S. Leo (c) *Metropolitano*, inquit, *defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam cõvenire debebunt; ut omnium Clericorum*

b Lib. 4. ep. 19. c Ep. 84. cap. 6.

corum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur.

Non inceperat ab illis Pontificibus hæc disciplina: siquidem Origenes (d) jam scripserat: *Requiritur in ordinando Sacerdote & præsentia populi, ut sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.*

Neque ullo, etiam nostro, tempore defuerunt, qui se parentibus & amicis Beneficia, etiam inferiora, petentibus excusarent, quòd sibi liberum non esset, ea quibus vellent, conferre, sed necessariò, & sub pœna peccati mortalis, esse dignioribus elargienda: ut qui se-

d Homil. 5. in cap. 8. Levit.

ſecus agunt nullâ poſſint ad Supremi Judicis Tribunal excuſatione ſe tueri, quippe omnium ſeculorum teſtibus & exemplis convicti.

CAPUT VIII.

Eligendos ad Epiſcopatum Digniores, confirmatur autoritate Juris Pontificii.

QUamvis Juris Pontificii conditoribus, & interpretibus propoſitum ſit, animas ad ſalutem æternam perducere; ob eamque cauſam non ſolùm nihil præſcripſerint Legi Dei contrarium, ſed potiùs complura tradiderint ei obſervandæ apprime utilia, atque etiam neceſſaria: tamen quia in cōſtituendis canonibus

maximè utilitas publica specta-tur; nonnulla tolerantur, quę, si absque graviori Ecclesiæ detrimento fieri posset, omnino abrogarentur. Itaque ut minuatur litium numerus, paci & tranquillitati admodum infestus, non arcentur à dignitatibus Ecclesiasticis, qui jam eas adepti sunt, modò sint digni, quamvis adsint alii digniores. Verùm jura sæpe inculcant, digniores esse aliis, quamvis dignis, præferendos. Ex quo intelligitur, officio suo Electores, Collatores, & Patronos, nisi hanc regulam præ oculis semper habeant, & sequantur, non facere satis.

Quod quidem multis in locis probat Illustriss. Prosper Abbas Fagnanus, vir in primis doctus ac pius; & de Ecclesia ob sua

ſcripta bene meritus. *In omni electione*, inquit in cap. *Cùm dilectus*. de conſuet. num. 18., *ille eſt præferendus, qui cæteris eſt melior, ac morum & vitæ ſanctitate præſtantior, cap.*Licet ergo. 8. *q.* 1. *cum concord. de quibus per gloſs. in cap.* 2. *in ver.* ſanctiones, *de offic. cuſtod. & Lambert. de Jure patr. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 10. *art.* 3. *num.* 5. *&* 6. *&c.* Poſteà num. 19. *Et quamvis pro validitate electionis ſatis ſit, ſi dignus eligatur, & electio de digno, omiſſo digniori ſuſtineatur, cap.* Monaſterium. 16. *quæſt.* 7. *cap.* Cum nobis. *de elect. & tradit poſt alios Covarr. in reg.* Peccatum. *part.* 2. *§.* 7. *num. verſ.* Sed hoc in hunc ſenſum: *Id tamen procedit poſtquam facta eſt electio, quæ ex omiſſione dignioris non retractatur, ut litium*

occa-

occasiones amputentur; sed ante electionem omnia jura clamant, ut meliores, & sanctiores eligantur; & ideo peccant contra justitiam distributivam, qui omisso digniori dignum eligunt, ut notant omnes in cap. Cõstitutis. *de Appell. S. Thomas in 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. Covarruvias & Rota &c.* Idem tradit in cap. *Bonæ memoriæ*. 1. de postulat. num. 71.

Fusiùs tractat hoc argumentum in cap. *Eum te. de Ætat. & qualit.* à num. 20., quem locum adire poterunt qui plura desiderant. Interim in hujus celeberrimi Jurisconsulti testimonio modò allato diligenter notandum est, non privatam esse illius sententiam, sed omnium communem consensum, quòd *ante electionem omnia jura clamant, ut meliores, & san-*

ctiores eligantur; & ideo peccant contra justitiam distributivam, qui omisso digniori dignum eligunt, ut notant omnes.

Sed ne leviter uni Doctori fidem adhibere videamur, proferenda est ipsius Juris Canonici doctrina.

In cap. *Quoniam*, de Jure patronatus, ex Concil. Lateran. sub Alex. III. cap. 17. statuitur, quòd *si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & approbatur assensu.*

Idem sancitur cap. *Si fortè*. distinct. 63. *Si fortè quod nec reprehensibile, nec irreligiosum judicamus, vota eligentium in duas se diviserint partes: Metropolitani judicio is alteri præfera-*

feratur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis.

Et cap. *Constitutis.* de Appellat. *Ut secundùm Deum & conscientiam suam unum eligerent de duobus in quos partes videbantur oculos extendere, quem Ecclesiæ magis utilem & idoneum reputarent.*

Sed quorsum tam multa cùm omnem dubitandi locum sustulerit œcumenici Concilii autoritas?

CAPUT IX.

Declaratio Concilii Tridentini de dignioribus ad Episcopatum eligendis.

SI quis animo sincero voluerit Ecclesiam audire, non excusare excusationes in peccatis; huic profectò, ut persua-

ſuaſum habeat, in Epiſcoporum electione digniores aliis etiam dignis eſſe anteponendos, ſatis erit legere declarationem in Concilio Tridentino, totam Eccleſiam per ſuos Paſtores præſtante, editam; nec enim aliâ declaratione, vel interpretatione indiget. *Omnes verò*, inquit Sacroſancta Synodus (a) *& ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque ratione, à Sede Apoſtolica habent; aut alioquin operam ſuam præſtant; nihil in iis pro præſenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant; eoſque*

a Seſs. 24. de reform. cap. 1.

que alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta Sacros Canones, & Tridentinæ hujus Synodi Decreta requiruntur.

Nonne hoc Decreto infractæ, dissipatæque sunt omnes excusationes hominum, carni & sanguini magis quàm Deo placere studentium? Omnes Doctorum eis indulgentium argutiæ? Quas potes personas excipere? Quod jus? Quod of-

ficium? cùm Concilium tam generaliter dicat; *Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque ratione, à Sede Apostolica habent; aut alioquin operam suam præstant*; &c. Oppones, legem positivam esse, quæ potuerit aut non acceptari, aut usu contrario dissolvi? At Concilium non jus novum condit, sed jus Divinum ac naturale declarat; non præcipit, sed præceptum *monet*, atque ut serves *hortatur*. Num res est parvi momenti? *Nihil ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius*.

Dicesne hîc, ut faciunt in aliis nonnulli, peccatum grave intelligendum esse de peccato gravi intra latitudinem peccati venialis, non autem de pecca-

to

to mortali? At Concilium verbis expressis hoc tibi effugium præclusit. Legistine multa Decreta Conciliorum Generalium, definientia quippiam esse peccatum mortale? *Eos peccare mortaliter* &c.

Fortassis, inquies, Concilium voluit tantùm, indignos necessariò repellendos, dignos eligendos, aut summùm, quando fit concursus, digniores. Auderesne hanc interpretationem adhibere? postquàm à Sancta Sede, præeunte Sacræ Congregationis Inquisitionis Decreto damnata fuit in hac Propositione, quæ est ordine quadragesima septima in eo Decreto diei secundæ Martii ann. 1679. *Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare,*

qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus. Quin etiam supervacanea fuisset hæc censura, nisi moderni quidam Theologi interdum res luce meridiana clariores suis interpretationibus obscurarent, & robustiora quæque argumenta futilibus distinctiunculis enervare conarentur. Etenim quibus verbis mentem suam manifestiùs declarare potuisset Concilium, quàm his; *Nisi*

Nisi digniores, & cæteris jam relatis? quæ utriusque mihi propositæ quæstionis nodos omnes expedire videntur: *Nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta Sacros Canones & Tridentinæ hujus Synodi Decreta requiruntur.* Excluditur ambitio (*non ambientium suggestionibus;*) repudiantur preces, atque etiam affectus humani (*non quidem precibus vel humano affectu;*) declaratur gravitas culpæ illorum, qui operam

ram non dederint, eamque diligentem, ut digniores præferantur, (*mortaliter peccare nisi quos digniores judicaverint præfici diligenter curaverint*;) in quibus consistat dignitas, indicatur, (*Ecclesiæ magis utiles, vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos, quæ iuxta Sacros Canones, & Tridentinæ hujus Synodi Decreta requiruntur.*)

Causam cur peccent mortaliter indicat Concilium his verbis, *alienis peccatis communicantes*; & tamen fortasse hæc fuit petra scandali, ad quam offenderunt autores Propositionis damnatæ, quam paulò antè recitavi. Existimarunt enim, iis verbis indignos tantùm excludi ab Episcopatu. Qui enim hoc munere digni sunt, puri sunt

sunt à peccatis gravibus, quibus communicaturi sint, qui eos eligant. At quis nescit, sub nomine communi *peccati*, contineri non solùm peccata commissionis, sed etiam omissionis? Quin etiam, ut quisque Episcopus sanctissimus est, ita maximè timet æternæ salutis periculum, non tam propter commissa peccata, quę faciliùs & cognosci possunt & emendari, quàm propter omissa bona, vel neglectam malorum correctionem.

Cùm igitur Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ Summum Pontificem dederit, qui quos digniores & Ecclesiæ magis utiles judicat, *non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis*, ad di-

dignitates efferre adeo diligenter curet, ut si præstantiores nosset, vel posset accersere, hos sine dubio, aliis postpositis, omnino proveheret: debent ii, quorum operâ in inquirendis, examinandis aut promovendis Episcopis, utitur, aut quoquo modo ejus rei participes sunt, rectissimę ejus volũtati sese accommodare; pręsertimque pręoculis semper habere auream illam S.Bernardi sententiam (b) in hoc delectu maximè servandam; *Alius pro alio, alius fortè & pro se rogat. Pro quo rogaris sit suspectus: qui ipse rogat pro se jam judicatus est.* Nam, ut ex Doctore Angelico diximus, *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus.*

Igi-

b Lib.4. de consid. cap.4.

Igitur pro certo habeant, & qui ad dignitates Ecclesiasticas accedunt, se fures & latrones esse, nisi per Christum, qui ostium est, nempe illo vocante, intrent; & qui eos admittunt, nisi à Christo vocatos ex virtutibus eis divinitus collatis intelligant, esse non solùm imprudentes, sed etiam infideles. Quamobrem Sanctus Gregorius ad hæc verba 1. Reg. v.3. *Unges quem monstravero tibi*, addit: *Ut cùm ad culmen Sacerdotij persona quæritur, cum magna subtilitate requiratur. Quibus nimirum verbis ordinatoribus Ecclesiarum in electione nihil suum relinquitur* (quem, *ait*, monstravero tibi, illum unges). *Qui sunt qui ungunt, quos non monstrat Deus, nisi qui carnali affectu ad Ecclesiarum cul-*

culmen ordinandos ducunt; qui non merita discernunt, sed personas accipiunt? Isti quidem Reges ungunt, sed non qui à Deo monstrantur. Quod suum est faciunt: quod Dei est tollunt; Dei quidem, personam monstrare est; ordinatoris, præbere unctionem.

FINIS.